

d. art. 13. Ideoq; idem Zieritz *hic*, cum Imperatore nostro totum hoc arbitrio Judicis committit, ita tamen, ut verum maneat, quod nemo ratione dubii sit condemnandus, *Matth. Steph. hic*, consentit, ut & *Matth. Berlich. p. 4. concl. 15. num. 6. & sequentibus*. Inveniuntur autem excellentissimi J Cti, qui torturæ præsentem reum subjiciendum esse autumant, inter quos non infimum locum obtinent, *Johan. Fichard. Teutscher Nachtschlager/cons. 119. num. 5. 9. Nicol. Boër. decis. 164. Wittenbergenses & Lipsenses Scabini*, ut videre est ex *Consult. Saxon. lib. 1. part. 4. q. 20. & q. 59. num. 1. lib. 2. part. 4. q. 51.* & ego plures allego in *Pentade cons. 1. nu. 45.* Non enim nudæ occisoris assertioni in hoc statur, si dicat, se ad defensionem occidisse, sed tenetur illud probare; per tradita à *Thom. Metzger. cons. crim. 3. num. 4. 10.* Ideo *Johan. Zanger. de tortur. c. 2. num. 157.* hæcce formalia usurpat. Confessio rei asserens, se ad defensionem interfecisse, facit indicium, ut sub tormentis interrogandus sit, an dolosè, vel ad defensionem occiderit? Etsi enim confessus sit cum qualitate, attamen cum contra hanc est præsumptio legis, Judex hac confessione ita movetur, ut nihil aliud superesse videatur, quam per tormenta veritatem exquirere. Et sanè si simplici assertioni rei accusati standum esset, nemo est, qui non videt, hac qualificata confessione pœnam homicidii facilè illudi posse, & *c. 1. num. 82.* egregius practicus *Zangerus* his verbis utitur: Excusari non debent à tortura nobiles & Doctores, si homicidio commisso, de quo constat, vel ex confessione eorum, vel aliunde, prætendant, sed id fecisse ad sui defensionem, quam testibus probare nequeunt, maximè quando de animo deliberato, aut cogitato occidendi appareat ex conjecturis & indiciis, quæ in unam quasi urnam colligit *Jacob. Menoch. lib. 2. de A. I. Q. cent. 4. cas. 361. nu. 17. usq; ad finem, & lib. 5. de præsumpt. præf. 38. & duabus seqq.* Etenim cum exploratum sit, reum necesse, hocq; delictum, ut & cætera, dolo committi à lege præsumantur, *l. si non convicii, C. de injur. c. 1. de præf.* & hanc ob causam, si reus non probet, se sine dolo id commisisse, puniatur pœnâ ordinaria. Hæc *Zang. n. 83. confer n. 84. 85.*

ARTICULUS CXLIV.

Defensio adversus fœminam.

Defensio quidem contra mulierem probatu difficilior est, quam contra virum, *Steph. hic*. Possibile tamen est, quod Hecuba quædam, seu virago virum effœminatam, ad repellendam vim cogere possit, *Virgil. lib. 12. Æneidos* Juturnam appellat:

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago.

Vide *Zieritz. hic*, verb. *quamvis non facilè, & verb. mulier naturâ ferox, Gobl. in auctario, & Arnold. Ferron. de reb. gest. Gallorum, p. (mihi) 240.* testis est, quod mulieres ipsæ, pice, aquisq; calidis, & ferventibus admotis mœnia scandentes viris admixtæ ita virorum officio functæ sint, ut re infecta multis cæsis redire coacti sint. Sed & à mulieribus virili habitu dimicantibus extorta hosti duo vexilla. Confer *Æn. Syl. c. 7. historia Bohemica:*

Sed